Sed omisso ioco hic diligētia op⁹ est fide ꝛ taciturnitate. Omnia ꝑ tua prudētia p̄stabis q̇ es vn⁹ oīm diligētissim⁹. Presertis in reb⁹, q̄ amicoꝝ intersunt Uale felicit̄. ꝛ si q̇d in me esse aiaduerteris qd̓ vsui tibi aliq̄n futuꝝ putes id omne tibi debitū deditumq̨ꝫ intellige. Scriptum leuis arundis leuissimo cursu martij luce vltima.

¶Rogat̄ amicus vt saluū conductum impetret aliquo migrandi.

¶Salutes plurimas quas nō equabit numer⁹. Quia integrā semꝑ gesserim de tuo in me fauore fiduciam qui votis semꝑ meis libēter intēdis. Hinc te plurimū rogo qui apud principē nostrum ꝛ autoritate vales ꝛ fide ꝛ gratia. ꝙ mihi publice fidei litteras quas voce vulgari saluūcōductum dicim⁹ bona in forma cōcedi ꝓcures. Absq̨ꝫ his em̄ a loco vbi sum abcedere non audeo Quod si facile nequiueris nō desistam lr̄is meis obtundere omnes qui principi assistunt donec liberam abitionem impetraro. Ubicūq̨ꝫ em̄ gentium hoc tempore malim esse q̄ꝫ vbi sum. Ubi absq̨ꝫ magno periculo ꝓpter ciuiles seditiones que multe insurgūt viuere secur⁹ non valeo Habet em̄ hec ciuitas tot volūtates quot homines. Non min⁹ vtile esset iudicio meo vnionem in ciuitate tueri q̄ꝫ hostes ꝓcul pellere. Quid em̄ ꝓdest qui extra sūt arceri. si ab his qui int⁹ sunt laceramur. Ego mi frater in sirtib⁹ nauigo vbi nec tuto me teneo nec valeo secur⁹ abire neq̨ꝫ hic esse sine periculo neq̨ꝫ alio ꝑmittit̄ Itaq̨ꝫ lupum vt aiūt auribus teneo. quem non min⁹ dimittere, q̄ꝫ tenere formido. Si quid igit̄ consilij habes qui in portu nauigas adiuua me tua prudētia. ne his fluctib⁹ obruar pui adeousq̨ꝫ sum animo ambiguo ne perturbato dixerim in hac temporum dira ꝓcella vt vix sciam qua corporis parte caput mihi collocetur Scriberem latius idq̨ꝫ apertius sed nescio q̄ꝫ recte hec litteris cōmissa sint. Sed muto locutus sum. Interea autem iniurias quas quottidie patior si ꝓpulsare non potero aut cōtemnam aut perferam fietq̨ꝫ ꝟtus necessitas. Tu optime amice vale. In eo q̇ amicos ꝟtute cōnectit amiciciarumq̨ꝫ vires ꝛ nomina fecit

¶Amicus in ius vocatū consiliū petit.

Tractus sum in ius coram vniuersitatis louaniēsis conseruatore carissime fautor. in causa tāti ponderis vt pars stat⁹ mei peri

culo eſſet ſi ꝑderem. Uidebis caſum in hac ſcedulula his incluſū Certum habeo ꝙ cauſa mea iuſticia nō egeat. ſed iurium bene cō flatu quodam vt ſplēdeat. Aduerſarius enim meus aſtutus eſt et litium auid⁹. hoc em̄ ſibi ab vberib⁹ influxum habet vt ſolus ad lites natus ipſe videat̄. Multa inuoluit multa obnubilat. Rogo igit̄ cum iurium doctorib⁹ conſilium captes prouideaſqꝫ mihi de aduocato. in quo ꝑſpicias amici fidem. ſapiētis homīs cōſilium. ⁊ impigri vigilātiſqꝫ ſollertiam. Prope diem adero excitatur⁹ vt fieri ſolet eoꝝ diligētiam fauēte altiſſimo. qui tibi aſſit autor. protector. adiutor.

¶ Reſponſio.

Si ea que in tua cauſa facti ſunt ſatis vt ſcribis teſtibus firmaueris. Non vident iuriſperiti ꝙ in iure cadere poſſis. Sed quia vſqꝫ adeo cautum habes aduerſarium vt cum lacte nutricꝭ lites ſuxiſſe videatur. Tuis ego precibus prouocat⁹ ad tuam cauſam contuēdam. aſſumpſi aduocatum ⁊ procuratorē viros quidem fidos acutos. vigiles. qui cauſe tue vt ſplendeſcat ita iurium faces ⁊ lumina dabūt. vt ſi in ea vnius aſſis iuſticie latuerit. vni⁹ libre mox apparētiam aſtruent. Nihil plus. feſſus eſt calam⁹. cadunt palpebre. ꝓfundum noctis agitur ⁊ petūt oculi. dulcē poſt vina ſoporem. Uale.

¶ Iterum amicus amico

Longe iam retro tempore ex te nihil⁹ litterarum habui. quo ſcias me iudicaturum ꝙ prorſus ex memoria tibi ceciderim. niſi tuis litteris te mei memorem mox oſtendas. Non pigeat rogo calamum. nō dico remiſſum ſtimulare ſed omnino iacētem excitare Caueas queſo qui mei ſemper amātiſſimus extitiſti. ne diuti⁹ in hanc ſcribēdi raritatem prolabaris. Quo tuam memoriā caducam arguam ⁊ rimis plenam. ⁊ veteris amicicie neglectricē Eſto felix perqꝫ beatus

¶ Ad idem

Non poſſum vſqꝫ ſatis mirari colende vir. q̇d ſibi velit hec tua litterarum raritas. ſi amorem friguiſſe nō demonſtret. Uix video quo freno me cōtineam. qui nō virgilianum illud in te contorſero. ⁊ quoniam noſtri tibi cura receſſit. Niſi curaueris tuaꝫ ſcribendi raritatem abūdātiori copia ⁊ multo fenore cōpenſare.

Quod vt facias summope rogo. Nam nihil duco quod poten-tius ipsi amicicie vires & robora prestet q̄z frequens mutuaqz litterarum destinatio Hec em̄ vero amori alimenta ministrat. Vale: Assitqz tibi iupiter habitator olimphi

¶Responsio

Nō ille sum carissime vir. qui in perforata memoria amicos soleam quo facile decidāt collocare. Falleris em̄ si ex litterarum raritate amiciciam iam tepuisse iudicabis. Is enim sum qui curauerim hactenus non amiciciam. vel v̄bis. vel litteris. cōnutrire. sed rebus & fauorib⁹. Etsi mihi loco distas animo tamē meo nunq̄z fuisti nō coniūctus. Inuenieśqz semp̄ in me rediēs qd̄ ab scedēs reliquisti. Quem semel dilexi nō dediligo. qd̄ poteris dū libuerit expiri. Sī igit̄ quid optas. detegas illi. q̄ si volūtatem iacentis aspiceret. occurreret vltro. Et tuam petitionem velocissimo cursu largitiōe preueniret. Uale de me quoqz vt cesareo verbo vtar. te iubeo bene sperare

¶Alia responsio

¶Salutem plurimā Nō vspiam viuit cui cōcedam q̄ gaudētius me amicoꝝ litteras accipere possit. Sed ex aduerso nosco neminem qui magis me calamo & litteris aduerset̄. ac magis rescribere reformidet. Perinde duco lrās scribere ac saccos vel lapides gerere collo. Cupiui semp̄ senerator in lrīs esse. pluraqz repetere q̄z dare. Desine ergo ex litterarum caritate amorem intimis sum iudicare. Sz velis affectum meum nō verbis sz operibus cōmetiri. ne aliud p̄ alio censeas. neue amicum nō rite ꝯdemnes Uale ex louanio Martij decima raptius q̄z fulgura cadūt

¶Ad idem sub alia sentētia

Salutem Scio inter nos multiplices amoris causas supesse & singulas certe pond⁹ habentes. atqz me tibi debere quātum psoluere difficile ē. Nec ignoro q̄ frequēti lrāꝝ missione ver⁹ amor summope crescat. Sz q̄ ad te litteraꝝ aliq̄d rarius misi. nō me amoris remissio sz verecūdia cōpulit. vix ausim tuis lrīs respondere ea quippe facūdia scriptis vt ex ore cicerenis psiliysse videantur. quarum ad splēdorem qnotiēs me cōuerto. stupeo & obruor indignum me sentiēs qui tibi scriberem. cui nō nisi magna quedam & p̄clara. & digna tua grauitate. autoritateqz. cōuenirent. Uale sitqz tibi leta nec min⁹ honesta sera senect⁹.

¶ Rogat pedagogij magistrum pater vt eius filium sub alio magistro in aliã cameram collocet.

¶ Salutem in eo a q̃ verissima sal⁹. Nihil ē fidissime vir. q̃d ĩ digni⁹ fero. q̃3 ꝙ mgr̃ illi cui fili⁹ me⁹ ⁊ cõmissus ⁊ cõcamerari⁹ erat. erroꝶ igni sulphura cõtulerit. eũdemq3 corrupit quem cor ripe debuiss3. viciaq3 sua nõ repsserit s3 expssit imo eundem ipse-met in errores illexit ⁊ q̃dē ꝑdidit q̃ saluare debuiss3. Mir⁹ ille medic⁹ est morbi amãtior q̃3 salutis. Multa mihi pulchra pol-licit⁹ est. Loq̃bat̃ vt par erat. si autē fecíss3 vt par fuit id opepre ciũ esset. Deus amplissima ꝓmissio tenuissima fides Jam infidel' animi latebras malasq3 sui pectoris cauernas tarde nimisq3 tar de agnosco Nescio q̃d mihi iam cõsilij restet q̃3 pessulari stabulũ equo sublato. vel decoqui pultē esuro sepulto Rogo filiũ meum ab illo seiũgas. nec volo ꝙ ei quicq̃3 impēdat. satis ꝓderit si no-cere desinat. cũ nihil sciat q̃3 nocē. aliũq3 pedagogũ tribuas. sa q̃ per ṽgã molliat̃ qui vicijs induruit. Plura scriberē s3 passio ꝓij cit calamũ nil dicã amplius q̃3 ꝙ is vnic⁹ est in quo mee spei fir-mã anchorã collocaui; Ex gandauo raptim leuiori pēna q̃3 aio Vale in eo qui recte valentib⁹ defuit nunq̃3

¶ Amic⁹ amico ꝓ famulo habēdo

Etsi hora tardissima sit. ⁊ sim adeo vigilijs lacessit⁹ vt poti⁹ dor mire q̃3 scribere ꝑstet. Res tñ festina me vrget ꝓtractionem nõ admittens. Famulũ meũ ꝓmoui in pinguioriq3 pascua colloca ui. sic erãt sua merita; Plures instãt vt ei⁹ locum subinrēt int̃ quos nõ est tepid⁹ ꝓsecutor qui p̄terito ãno tibi famulatus est. Cui⁹ ꝑsone gratilitas si cetera starēt sat̃ mihi accepta foret. S3 suus a te abcessus cui seruire ꝑfacile ē. facit me de suis moribus dubitare. Te ꝑ vltimã amicicie nr̃e scintillulã rogo ⁊ req̃ro. ne ꝑtingeat ei⁹ cõditiones mihi sub secretissima fide deuelare. q̃s tace bo si ita statuas easq3 mihi vni scitur⁹ fuero. Libēter asseq̃rer in ter plures magis electum. nõ paꝶ mea int̃est qui reꝶ meaꝶ in-curi⁹ sum vel hũc vel illum recipe Quero fidelē secretum veꝶ et vigilem. Non multum laboro. si cetera desint. modo hec assint. Non facile aderit ex omni parte perfect⁹. Vale vale. oculi mei somno graues prolixitatem respiciunt.

Responsio.

Occupatio mihi plurima erat dum mihi tue lre tederētur qua prorsus retroiecta. mox ad calamū aduolo oib⁹ curis meis tua negocia pferēs. Cōditiones famuli dudū mei trāscribi tibi postulas. Qd dum tibi negare nō possum. añ oīa te adiuro per quicqd nobis amoris ē q plectū hoc breue vel laceres vel vulca no tedices. Ne dum tibi pdesse velim alij viderint ꝛ obsim illis Ad aurem tibi dico titulo secreto ꝛ basso sermōe hūc tibi inuti lē seruū fore. quē si currē vetes lep⁹ erit. si currē mandes lenta si bi viuacitas erit. ꝛ sibi accrescet natura limacis. volet ōnia q̄ tu nolis Nō loquaciorē vnq̄ȝ vidisti garrulā anum. Esse tñ potest q aliqn verū dicat si fortuna fauerit. Nā quātum ex se int̄ verū et falsum. int̄ tuū ꝛ suū drām paucam statuet Jā habes q̄d actu rus sis q̄ famulū nō vis in fidū mendosum dromonē garrulum Ex gandauo martij vltima. dum potior ps acta diei est. ea q̄dē festinātia vt calam⁹ sagittam celerem superasset.

Alia epistola interrogans habitudinem alterius famuli.

Hoc natura mihi insitum habeo. hoc traxi ex cunabulis q mole stissim⁹ sum amicis. Ubi cepi nō desino. sȝ puerorū more ad cau dam benefacientis semp ꝛ sp hereo. ex pmis meritis spem mihi sūadēs de futuris. qd ego mei iudex in meipso nō possum nō de testari. si nō aperte ex altero pleno corde exoptarā. ad similia vel maiora amicorū iussib⁹ excitari. q̄ mihi occupationē etsi dederint molesti tñ esse nō possunt Tu largo fauore secretaqȝ fide famulū illum. quē scis notū descripsisti. qui maculas habet nullo lixiuio saporeqȝ nullo abstergēdas. Sȝ habes vicinum pistorē quēdā ad dexteram tibi pximū. Filiū is hȝ qui mihi vt seruiat etiam ac etiā plurimū instat. cui⁹ mores pariformit̄ mihi peto intimari. et si q̄ tuis in lrīs celāda duxeris tibi do fidem q nemī q̄ȝ igni cō municabo. Tua frt⁹ te volentē faciat q̄ me fecit cōfidentē. Uale vir care ꝛ viuito let⁹. Ex louanio non telo tardius tenues quod peruolat auras.

Responsio

Fili⁹ ille pistoris vt suo in vicinio nō pauca fama circūuolat mo derati frbi est. Nihil qd silētio debet in publicū ducit. nihilqȝ di

cit qd̄ dissidet vero. Ferturq̄ꝫ ꝙ nihil sit eo veri⁹ secreti⁹ viuaci⁹ fidelius. Hec (si recte memini) reqris in famulo paruihabens si, de sint reliqua hec si assint. sꝫ supest quiddam quod me ab ei⁹ seruitio pualde retraheret. qd̄ si subticerem vererer ab instituta obseruātia nostra declinasse Velim ergo sub secreti tegmine scias hūc bibere vt arida tellus. Nō ꝯsueuit ipse vino nec vinum sibi parcere. Pridie in cōuiuio quodam ebri⁹ factus est adusq̄ꝫ ludibria fedissima visu. vbi incertū est plus an biberit. vomuerit vel effuderit. ⁊ quotiēs potest cōuiuijs se ingerit vbi primū post haustū mox rixas mouet ⁊ suscitat iras. nec manet socratica ligua. tūc quoq̄ꝫ animū estuātem ⁊ vindicem habet. ⁊ manum facilem illi animo seruitricem Has cōditiones pubescentib⁹ annis exortas diluit rarissime subsequēs etas. Quid tibi fieri cōducat tua prudentia te docebit. Uale sitq̄ꝫ tibi long⁹ salubris quoq̄ꝫ termin⁹ eui Ex bruxella maij vicesima tarde dum nox atra celum subtexerat volāte manu volāteq̄ꝫ calamo liquido velut ethere nubes.

¶ Ad idem

¶ Habeo tibi gratias ⁊ certe q̄ꝫplurimas de his que mihi in secreto tuis litteris reuelasti. Forem ego carissime frater mira dementia captus si illi rerum mearum curam cōmitterem qui ex fundo ciphi ita fedas morum labes didicit haurire vt post potū non reliquie pristine frontis appareant. In tali enim vita fature miserie facies depingitur. Fuit quidam diebus pauculis mecum alter. qui iniussus nihil exequitur sed singulari quadam dementia longis in rostris calceorum scacatis collarijs longisq̄ꝫ capillis videtur plurimum gloriari. Tota die quid sibi deest ad speculum querit eleuatas comportat in scapulis alas. que an satis in altum leuentur au mutuo dissident. oculis suis metiri nō desinit. Jam quoq̄ꝫ vnam iam alteram ad latus extensam tibiam respicit. bacillum album porcor inspectoris instar manib⁹ gestans. quo puluerem pilleo suo excutiat. vel faciat calopodiorum calceorumq̄ꝫ rostrum rostro respōdere. cuius ferendam eximiam fatuitatem nō diutius censui. Quem dum sui erroris arguere cepi. vsq̄ꝫ adeo tulit indigne vt cōtra clamādo pene raucisceret. Uident̄ mihi seruitores boni esse fenice rariores Si tñ vt cūq̄ꝫ mihi in hac parte ad cōmodum prospicere posses. faceres mihi rem gratissimam omniq̄ꝫ lucro gratiorem Uale sponso letior. regeq̄ꝫ felicior.

Responsio

Desiderijs tuis vt satis essem carissime fautor longam operā cōtuli. et circūspexi vndiqz loci vt tibi de famulo te digno ꝓuiderē. Repperi tādem adolescētem q̄ ad tuū seruiciū multum aspirat. cui florida etas adest laborib⁹ apta. Quē pauꝑtas ocia cōtemnē docuit. q̄ linguā sic ferē instituisse vt tacē sciat. et mentiri nesciat. In quo nondū vidi aliq̄ libidinū ꝓhemia. vel impudice mētis indicia. mireqz mihi placet illi⁹ mitissim⁹ anim⁹. illiusqz modestia. quam vultu gestu simul et morib⁹ ꝓfitet. Nisi fallor. digni estis alterutro. Nec facile dixerim vter felicior. vel tu ꝙ tibi is famul⁹. vel ipse ꝙ sibi dn̄s obtigeris. quem dum paululū habueris. fore puto ꝙ nō lelius affricano gratior erat. nec achates enee. Uale felix tempore longo

Inuitatur socius vt sequatur socium louanium pergentem.

Maximas infractasqz amicicias. Inť plurima q̄ priusquā abirem fidentissime socie dum millies item et millies dulci ocio cōfabularemur semꝑ nobis hec vnica sententia fuit ꝙ q̄zprimū louaniū ꝑgere vellem⁹ ꝓficiēdi gratia paternis finib⁹ nō cōtenti. Pollicebarisqz mihi abeūti te me ad calcem de ꝓximo secuturū. Qḋ quia nondū adimplesti cōtinere nō possum qui nō cum harum latore has ad te lrās scribere. te ex corde rogitādo ꝙ oī dilatiōe semota. mox ope ꝑstes qḋ liberalib⁹ verbis ꝓmisisti. Iāiam carissime socie oculis corā video meis q̄z vtile cōsilium cepim⁹ si nō postea obsꝑeuisses. Timeo ne hec dilatio te ad desidiā. ne q̄z hec lōga mora te traxerit ad inertiā Anim⁹ certe me⁹ non quiescet donec vel te videro vel ꝑ lrās accepo te ꝑbreui aduēturum. Qui dum veneris eo fuero tuo in aduētu letior q̄ fuisti in sequēdo tardior. Ita eñ se h̄z res. habebitqz sꝑ ꝙ cui⁹ maxime p̄ntiā amam⁹. nō possum⁹ eius absentia nō torqueri. Finem do. te his paucis excitasse aut refricuisse suffecerit. Ualeto salu⁹ et letus. prudēterqz ꝓspicito ne defueris tuis ꝓfectui honori et fidei

Ad idem

Firmā amoris ꝯstātiam ꝑ salute. Speraui ego carissime socie ꝙ me louaniū ꝑgentē studēdi grā q̄zprimū iꝑrotracte fuisses secut⁹. qui mihi id firmiť ꝓmiseras abeūti vt ꝯiūctioni animoꝝ

cōiunctio loci rn̄det. Et quāto id magis speraui futurum. tāto acrius doleo spe prepta. Si tamē scires quāta sit louanij mgr̄orum vigilātia. scholariū diligētia. quātus lr̄arum ardor. quātus morum decor. quātusqꝫ studij vndiqꝫ feruor. nunqꝫ quiescēs donec louanij mecum esses. Cepi ego tuis ꝟbis confisus ꝑ nobis cameram vnam in pedagogio lilij. puam tn̄. sꝫ duobus vnum aīm habenti hus nullus locus est angustus. Dixi magistris te pbreui affuturum Eo iam res pducta est vt neqꝫ tu honore tuo saluo. tuū differre possis aduentum. neqꝫ ego illesa fide tuam moram nō accusare. Hec ideo dico carissime socie vt vel hoc efficiat pudor qd̄ ratio prius debuissꝫ. Vale ꝛ cura ne diutius sanū cōsiliū mora corrūpat

¶ Petitur festinus aduentus amici vt astet amico.

Salutes stellis numerosiores. Nūc potissimū opus est amice ꝑcare. vt admotis calcaribus mox equū ascēdas. improtracteqꝫ ad me venias. lateriqꝫ meo adiutor assis Ego summope in te spero iubente ꝟtute quam in te sitam sempagnoui. q̄ si mihi vt fortis certator astabis. spero fore ꝙ breui voti mei compos existā. Nā in te mihi exundās spes est. exundāsqꝫ fiducia Nisi eīn tua opa adiutus fuero. nullius alterius auxilium spero. Nuncius has pferens tibi mei dicet cordis archana. que ꝑ nr̄a vetera summaqꝫ amicicia ita tractabis vt in rem meam cōductura putabis. q̄ nullum vnq̄ ptermisisti officium amoris summi erga me tui. Qd̄ si feceris pclaras ego ꝟtutes tuas cordi meo seruabo tenacit̄ easqꝫ q̄ si ppetuus aliqs buccinator loci vndiqꝫ p̄dicabo. Occupationes mee iam lōgioaem me tecum esse nō sinūt. int̄ amicos etiam ꝑhibita est ꝟbositas. q̄ non ꝟbis cōnectunt̄ sꝫ animis. Amor eni rebus ꝛ aīo nō sermone q̄rit̄. Valeas igit̄. tibiqꝫ psuadeas me vnū oīm esse q̄ tāto te amore cōplector. vt aliū magis neminem. Ita qꝫ si quid apud me est quod tibi iucūdum esse possit id ita esse tuum putato vt meū magis esse nō possit:

¶ Intimat̄ aduētus amici amico.

Salutes supraqꝫ pēna exp̄mere possit. Tandē iam tādem vna ex te fidissime dn̄e lr̄as recepi q̄s magni muneris loco teneo. tā etsi parum sit vna ep̄la pluriū annorum compēsare silētium Has tibi obinde scribo vt me viuere scias ꝛ sospitem. ex lr̄isqꝫ tuis me

esse gauisum. et tam maxime ne scriberem nihil hic sisto calamū. hac hebdomada spero videre te q̄ȝ bene scȝ valeas. quid reꝝ agas quidue fortunaꝝ et sospitatis habeas. statuiqȝ tantisper apud te esse. quem amo vnice venerorqȝ vt nō viator venisse videar. sed et familiaris et tu⁹ quem vix a collo depuleris. quo tādem vt abeam. et sperare incipiēs et optare. Uale igit̄. Raptim ex Leodio: decembris quinta. digitis frigētib⁹. et quidem flatu anhelit⁹. in cuiuslibet ꝟbi depictione calefactis. Apud nos eñ hac die. pregelidus aer. horridum frig⁹ sic vndiqȝ miscet. vt etiam animalium sanguini timeri potest ne vertat̄ in glaciem. dum iam ex basilica redirem tam scindens fuit acumine vent⁹ quasi minuta q̄dam cultroꝝ lamina p aera volitasset. Sȝ ignem struit famul⁹ hec expulsuꝝ frigora. Mansur⁹ sum ante focum donec frig⁹ erit calida camera inclusus vt int̄ plumas cuculus

Frater amico vt reducatur nepos profugus.

Habet frat̄ me⁹ carissime vir. vnicum vt nosti p̄ter formā pauci mometi filium. qui ludorum mulierumqȝ cupidine tract⁹ sic in errorem plabit̄. vt nec paternis mādatis pareat. nec rectis cōsilijs credat. Multi pbissimi viri plurimis ꝟbis eū a vicijs trahere conati sunt. Sȝ semp habet aures suas sic pice clausas vt surdo narrēt fabulam. qui tandē bonis illis cōminationib⁹ fessus clam p̄e abijt pfug⁹. cōsortijs se miscēs piculo plenis. quē pat̄ etsi malum esse agnoscat. nō pt nō diligere alteri⁹ successorꝭ inopia. Dolet hinc pater q̄ȝ maxime adeoqȝ eum abijsse luget. suspirijs crebris atqȝ lamētis. vt therētian⁹ ille menedem⁹ ex eo renasci videat̄. quem ita conat⁹ sum quia ei⁹ me miseret cōsolari. vt si me audias cremetē audiuisse credas. Te ergo pcupide rogo si casu aliquo ī aures tuas ceciderit vbinam loci fuerit. id mox curres intimare. et vt reducat̄ cōiuuare. vt tua ꝟtus tuaqȝ industria dabūt. Pater eñ vt pspicax est multum veret̄ dolēdum exitum qui quasi debit⁹ non cōsueuit sic viuētibus nō euenire. Uale in eo qui summi regit culmina celi.

Responsio

Tristiciam fratris tui sincerissime vir siccis genis ferre non potui. quem dum habeam oculis meis cariorem. ei⁹ etiam filium

nō amare nō possum. Nō osor est rami q̄ diligit truncū Spem mihi nō paruam cōflaueram q̄ ex illo iuuene quiddā p̄clarū exurgēt aliqn̄. vnde grauiꝰ iam doleo spe p̄repta. Sꝫ tamē quia adeo pulcher filiꝰ est ⁊ leta iuuētute floridaqꝫ venustate conspicuus. quem nisi quis noscēt ex iouis sinu delapsum putaret. Nō facile inducar vt credam illi spei. piam deesse in dolem. ⁊ clarū ingeniū nō respōdere. Nam solēt corp̄is liniamēta animi imaginē indicare. Esse nō potest iudicio meo quin alioꝝ vicijs cōcitetur erretqꝫ tractꝰ. nunq̄ tam viliter sua sponte ꝓlapsurꝰ. Nescio si me amor decipit. cecus vtiqꝫ iudex. Habuit ex dono nature pulcherrima ample ꝓmotionis cremētiqꝫ inditia. si iuuētutis cursum turpi labe nō defedasset. Flebit etate ꝓuectior quod cōmittit impubes. nisi mox retrahat ex lubrico pedem. gratiamqꝫ pro mereri studeat. ⁊ ꝓmeritam conseruare. Quod vt faciat operam dabo. desideriumqꝫ tuū nec frustrabor nec morabor. Uale q̄ scribi q̄ dici. cōcepiqꝫ potest valentius

¶ Alia responsio ad idem sed alia sententia

Fratri tuo ex suo merito iam dudum oīa debeo. q̄ tantā in me cōgessit beniuolētium. vt semꝑ felicē me tali amico iudicarē. Sꝫ qꝛ ꝓ suo filio. tāto dolore nō sua prudētia digno. angit̄ vehemē doleo. Sꝫ nemo sibi tam cōpos est q̄ nō aliqn̄ efferat̄ ab impetu et a passiōe supet̄ Spero q̄ fluxꝰ tp̄is vt fieri solet tristiciam adimet cū nihil sit si credamꝰ ciceroni qd̄ citiꝰ arescat lachryma Bene tn̄ me hꝫ q̄ tibi suū dolorem reuelauit. Nā dolor spēm ignis gerit q̄ dum plꝰ tegit̄ plꝰ ignescit. Arbitror ego filio suo fore putile. q̄ sine lege. sine metu. viuē parat. vt quiddā gustet pauptatis q̄ exptior ⁊ castigatior tādē ad se reuertat̄. multos docuit experiētia. q̄s schola docē non potuit sepe surda plumbeaqꝫ capita hauriūt. oculis qd̄ aurībꝰ nō valebant. spernet ꝑfecto eos aliqn̄ ex q̄ꝝ nūc insanijs pendet. Hic punctū facio. Dum adhuc i hoc v̄bo pēdet. penna pēderet. o carissime vir. cōuenit me nunciꝰ dicēs. vbinam loci fr̄is tui filiꝰ est Uale igit̄. Mox pede nō moto ad eū lr̄as scribo. nunciū mitto. q̄ labore. quove ingenio vsus fuero postea nosces. Tempus enim agendi nō narrandi iam congruit. Nō enim quiescam donec eum viderim ex his erroribus

enatasse. Incertum tamē est quid exinde sit euēturum. crebrrie hoc accidit vbi rebus adhuc in crudo stantib⁹ viciorum radices conamur succidere. nihil aliud facimus q̄ȝ ventis incēdia puocare. Iterum vale

¶ Interrogat̄ cōditio cuiusdā notarij. an expediret eū in secretariū episcopi assumi

¶ Salutem omni salute pstantiorē. Parces mihi amice pcare si parcum temp⁹ parcas lrās dabit. Lati⁹ scribere nō segnicies. ſȝ occupatio vetat. Varijs em̄ inuoluor onerib⁹ vſqȝ ad aures. Lator harȝ vir scia v̄tute singularis. quiddā est petitur⁹ ex te. q̄ sine vllis pcib⁹ meis q̄ vera sunt mime reticesceres verȝ etiā mea causa vt ea q̄ pspicue nosti de capituli tui notario referas te plurimū rogo. Nihil a te peto qd̄ alienū a v̄tute cēseas. Quid em̄ virtuosi⁹ q̄ȝ dicē qd̄ verȝ est. Qd̄ poti⁹ hac de re ad te q̄ȝ ad quempiam alium scribo. id cause est. q̄ nō vestit̄ aura. nec tegit̄ celo. cui vt tibi fidem habeam. cui⁹ lingua nunq̄ȝ a vero discedit. Vale felix ꝛ longos viuas in annos

¶ Responsio dicens notarium illum adulatorem esse

Exposuit mihi nūcius tu⁹. reuerēdū in xpo prēm. dn̄m nostrū epm̄. petē fidū secretarium. Instāti⁹ ex me postulās tui noīe. qd̄ sentiā de nr̄i capituli notario Ecce vir carissime loq̄r vt tibi vni semotis arbitris. in sinistrā aurem susurrē. Si hūc notariū plenius velis ꝯgnoscē. gnatonē apud comicum cogitabis. q̄ impauit sibimetipsi oīa assentari. Laudat em̄ sermonē indocti. faciē deformis amici. Si riseris. maiori cachino cōcutiet̄. Flet. si lachymas ꝯspexit amici Frigebit. si frigeas. si dixeris estuo. sudat Quem si admiseris. tuas sp aures multa nube vanitatis implebit. tuisqȝ opib⁹ oīb⁹ adulant̄ applaudet. quicq̄d in eo ē. id totū adulatio vēdicat. nihilqȝ veritati relinquit̄ aut v̄tuti. Nihil ei hoc hoīm genere pnicioſi⁹ inuenit̄. q̄ venena ppināt melle circūlita. q̄ citi⁹ noceāt. ꝛ quo noscant̄ tardi⁹ Felicē illum existimo q̄ adulatorū rethia pt effugē. Nā serpit hec adulādi eluuies feda. et morb⁹ cācerosus in oēs Vt null⁹ aut rar⁹ sit quē hec labes nō attingat. Tāta em̄ est hui⁹ erroris area. quāt⁹ ꝛ orbis. eoqȝ latior quāto pauciores sunt qui adulatorȝ laqueos euadere possunt

Uel qui ita mollicien aurium eruerint vt nullis prorsus adu-
lationib⁹ delectent̄. Cum eas ali⁹ non videat. ali⁹ etiam p̄uisas ne
sciat declinare. Cauendum optie vir summope de talib⁹ ē Nō em̄
potest vnq̄ȝ fides esse incolumis. vbi aliud agit̄ aliud simulatur
Per hoc tibi satis respōsum putato. ⁊ bene valeto. coq̄ȝ felicius
quo a tali hominū genere distātius

¶Responsio alia in aliam sententiam di-cens eundem ebriosum.

Salutes plurimas aduersitatis nescias. Pre omnib⁹ id vnum
summope peto colēde preceptor. q᷑ amor ille qui me ad loquen-
dum incitat. te cogat ad silētium Quo quot tibi dixero nulli vi
dear deuelasse. Is de quo queris tot⁹ sese in crapulam potationesq̄ȝ
dissoluit. qui raro manum habet nisi amphore vel cipho con-
iunctam. Cui semp̱ tant⁹ est haustus quātus est ciphus. quem
neq̄ȝ vacuū patitur neq̄ȝ plenum. Qui maiorem sitim q̄ȝ ventrē
habere videtur. Super enim capacitate sui ventris. instar vasis
extensi cum dolio certat. Omniq̄ȝ cōuiuio superstes est. primus
venit. vltim⁹ abit. Cui animus in potestate nō manet ebrietate
deuictus Nec sibi verbi vlla modestia ē. neq̄ȝ vllus in ope pudor
Itaq̄ȝ mox vinol illuditur vt nihil in eo preter hominis figurā
homini similē relinquat̄. que si non cōstaret iam a vilissimo por
co sordibus amico cōsuetoq̄ȝ viuere luto. distare nihilo videret̄.
hominē illum eminētiorem existimat. qui vini capatior vel pro
fusior est. quem raro videbis. nisi vt virgilij ꝟbum est somno vi-
noq̄ȝ sepultum. Uale si quid est aliud quod a me tua causa fieri
velis. id si scripseris. nō scripseris frustra Non em̄ tibi apud me
optādum quicq̄ȝ est quod sperare non liceat. Si autem non de-
fuerit intelligentia qua videam. non defuerit fauor quo seruiam

¶Commendatur amicus amico. vt ei sit adiutor.

Uirtus latoris me cōmouit vt ad te perdiligēter scriberem. sed
virtus tua q᷑ cōfidenter atq̄ȝ eundem tibi q̄ȝaccuratissime cōmen
darem Rogo igitur te maiorem in modum quātum poteris tua
dignitate seruata eum tuo cōsilio adornes ⁊ auxilio eundem quo
q̄ȝ q̄ȝliberalissime tractes quo intelligat hāc ꝯmendationem me
am sibi magnope fuisse adiumento. vt hoc etiam teste augeatur

nostre amicicie fides. Quo mihi feceris rem gratissimā memoria
seruādam sempiterna. Is nāqȝ amicissim⁹ est ꝛ maxime ver⁹ in
rogādo mīme molest⁹. ꝛ tua amicicia q̄ȝ optime dign⁹. Iterꝫ igit
atqȝ iterum ꝛ repetēs iterum rogo hui⁹ viri reb⁹ ꝛ cause quas ti
bi ore narratur⁹ est accōmodes manum ꝛ aures. Ex louanio Iu
lij prima. vides q̄ȝ rapti. satis hoc mōstrāt ineptia et caractēs.

Ad idem

Multas larga ꝓfusione salutes. Quāqȝ vsqȝ adeo tempora mi
hi nūc artissima sint nec reb⁹ ꝓprijs suffectura vt vix respirādi
spacium prestēt. Quia tamē harum exhibitor mihi carissimus
plurimū sibi cōmodi allaturum id arbitrat. si litteris meis tibi
declarem. qua sim ꝛ qua diu fuerim erga eum volūtate. Hinc te
scire velim carissime fautor me totiens hui⁹ beniuolētiam exper
tum esse ꝛ fidem vt hominem neminem pluris faciam. Ut igit
eum in tuam fidem suscipias. habeasqȝ in numero tuoꝝ. ꝛ vbi si
ne molestia poteris eum adiuues te vehemēter etiam atqȝ etiam
rogo. Plura de eo scribere suisqȝ in me meritis res exigit. certe
temp⁹ pauciora. Felix vale ꝛ viuito letus

Increpatur filius a patre frequenter pecuniam postulans

Gratam rem mihi faceres fili ꝙ ad me sepe scriberes. si non assi
due pecuniā ipse postulares. quo te videt non tam filialis amor
q̄ȝ denarioꝝ cupiditas ꝓuocare. Qd̄ autem sic incessanter petis
et repetis. facit me plurimum tua de vita dubitare. Scio pauca
esse que bono scholari ad necessitatem suppetūt. Nisi tibi iā va
rijs vicib⁹ pecuniarum portiūculas multas. nec iterum atqȝ ite
rum de nouo petere destitisti. Qd̄ mihi argumento est. teipsum
nō tam ꝟtuti ꝛ lrīs. q̄ȝ voluptati. malisqȝ ocijs cōtulisse. ꝓpria
dissipare ꝛ bene ꝓspicere raro coeūt. Caueto fili ne id qd̄ mihi iā
dubio est. veritas ipsa cōtestet. nisi me velis tibi patrem abnega
re. qui tibi desinam facere bene. q̄ȝ primū desines ꝓmereri. Pro
mereberis autem semꝑ. donec magistris obediueris tuis. labora
ueris. studueris. ꝓfeceris. nec te reb⁹ immiscueris malis. vanis
aut impudicis.

Ad idem alijs verbis ꝛ sentētijs

Non satis cōsideras fili. quātos labores ego matre cum tua dic

noctuqꝫ expendimus. vt denarios ad nostrum victum. ꝛ tuū in
uamē. honeste sancteqꝫ assequamur. Quos tam incaute ꝛ inuti
liter effundis ꝛ dissipas. Qd̄ autem totiēs donem⁹ quotiēs po
stulas nō nobis facultas vlla ē. Moneo te vt qui paupes humi
liqꝫ genit⁹ ex parēte teipsum agnoscas. ꝛ paternis egētijs parce
re discas. Intereaqꝫ abstineas velim a supbia ꝛ maxime ab ino-
bediētia ei⁹ supbie pessima ꝓle. Fitqꝫ tibi eo alacrioꝛ studēdi cu-
ra. quo ad inopiam citi⁹ redeūdum erit. Nulla tibi spes in rerum
copijs est. vel tui generis potentia. Supest solum. vt tibi scias
virtutesqꝫ cōcumules. sic semper quocūqꝫ ieris cōiunctas tibi in
ueneris carissimas. quibus falli non poteris ad altioꝛa ꝓmotri-
ces. Uale tibiqꝫ ꝓspice. ne malis te cōsoꝛtijs misceas. ꝛ ne cum
vanis vaniter agas

¶ Ad idem rursus ꝫ alio modo

Fili. videris mihi ꝓ denarijs furere. cōsequens est ꝙ ꝑtepide stu-
deas. Caue ne nimis absentie fidas. vt lati⁹ audeas quo longius
distas. ꝛ ꝓcul absis. Des operam ne rerum tuarum pꝛofusoꝛ fi-
as. ne quoqꝫ vicijs malis cōspergaris Nunqꝫ pꝛofecit malis vi
cijs inquinat⁹. Sic discas sic cōuerseris vt deo ꝛ hominib⁹ gra
tus esse merearis. Quod si feceris. me patrem semper inueneris
paterno officio non carētem. Sed secus si feceris sec⁹ habebis.
Et quod lucraberis facile vt aiunt in cote nodabis. Nec inte-
rea tutus fueris qui nō asperrimas virgas tibi senseris inimicas
Uale vt mereberis

¶ Responsio filij

Affectuosissimas humilima veneratiōe salutes. Metuēdissime
pater. testoꝛ illam carissimam fidem pꝛeclarumqꝫ amoꝛem illū.
quos in vos gessi incōfracte. me nihil pecunie ad voluptatem ꝫ
nudam ad necessitatem postulasse. Neqꝫ audiuistis spero tem-
poꝛis vnqꝫ dum vobis domi essem ꝙ mea stulte deiecerī ꝙqꝫ ma
lis incubuerim ocijs vel ludis etati non cōgruis ꝛ bono schola-
ri vetitis. An autem nūc absens denarios meos ꝓdigo iactu ex-
penderim. an remissius debito laboꝛarim pꝛofecerimqꝫ. magister
meus testis erit. qui qcquid me respicit optime nouit ꝛ qui in
terrogatus nihil verum dicet verissimus ipse. Ex cuius oꝛe se-
pe auditum est. me magis freno. qꝫ calcarib⁹ in studendo eguisse
Nā qꝛ tarde ceperā lrās colere. curaui festino cursu meā coꝛrigē

tarditatem. eoqz studere forti⁹. quo incepi tardius. Conatusqz sum p̄ualde socios meos discēdo superare turpe ducēs cedere pari. pulchrumqz vicisse maiores. Itaqz in discēdo vigilem operā dedi. vt sic discerem ne diu docend⁹ permanerem. Deumqz do te stem q̄ nunq̄z ab institutis studijs me vanitatis ardor retraxit. neqz deflexit cura ludor. Pro vestra igitur prestanti prudentia facile intelligitis nihil tā bene fieri posse qd̄ non poterit linguis malis deprauari. quib⁹ spero virtus preclari animi vestri nō aures dabit credulas. Sic em̄ vestra scripta in eam partem interp̄tari conatus sum vt huiuscemodi crimina non quia facta sed ne fierent arguistis. quasi fierem ex vestris his scriptis prescius ei⁹ quid essem si similia facerem auditur⁹. Valete in christo.

Nepos ex Italia rediens suo nepoti iuniori Louanij studenti.

Abundas largo corde salutes. Pater tuus fidissime vir ī hac dura hyemis cauda in domum suam me susceperit. ex ytalia cum sarcinulis redeuntem. Ubi primis illic salutis verbis ꝛ leti aduentus vix satis expressis Mox pro te vbi nam loci vel gētium esses percupide peto. Dicitur mihi te necdum louaniū reliquisse. Ibiqz gradum in artibus suscepisse. ꝛ philosophiam iam pro alijs legere. ꝑ te quoqz iuribus incumbere Quod cum audissem magnus mihi multe leticie subortus est cumulus. cum non vanam fuisse illam spem rediens inueniam. quam ex eminētia tui ingenij tueqz nature mihi abcedens construxeram. Intelligo iā omnia splendida esse. que mores. que vitam. que studium tuum respiciunt. Cum certo habeam ad aristotelicas lectiones in pedagogijs louanij assumi neminem. qui non compositis morib⁹ honesta vita. ingenio scientiaqz floreat ꝛ facundia Gratulor igitur institute vite tue ꝛ plurimum gaudeo. illud oratianum exclamans. I bone quo virtus tua te vocat. i. pede fausto. Uelim tamen me certiorem efficias in quo pedagogio commoreris quid valitudinis habeas. an temporis aliquando humanitatis studijs incumbas. etsi quid fuerit alterum quod te respicit qd̄ mihi cognitum iri desideras. id intimare non omittas. et vale ꝑfeliciter.

Responsio ad predictam.

¶ Nō rex Midas letior erat. dum vidit q̄dcūq̄ȝ tangēt verti in aurum. Nec pygmalion dum dilectam v̄ginem ebore sculp-tam habere senserat s̄piramīa vite Quā fueram ego carissime ne-pos dum tuus nunci⁹ mihi tuas lr̄as p̄ntauit. magni tui amo-ris in me nō futiles testes. Vehemēter gaudeo q̄ ex ytalas cum sarcinulis rediisti. magis q̄ san⁹. maxime q̄ doct⁹. lr̄is em̄ tuis tulium ꝑpe repsentas q̄ me tua sic terres eloquētia vt nō ausim longius extēdere lr̄as. Nunci⁹ iste ex me multa Jtem ꝛ multa su-is aurib⁹ hausit. cui⁹ iam lingua ꝓ calamo vtar Jn quo animus me⁹ tutius cōquiescēt si vt fidum ꝛ verum. sic eum memorem de scripsisses. Ubi autem interrogas in quo pedagogio moram du-cam. Scias me in lilio semꝑ moram habuisse in quo ipse mora-ri cōsuesti. Sūt testes plurium camerarium parietes multi in quib⁹ tuum patet vndiq̄ȝ nomē. Jn camera em̄ canū ceruorum et forcipum vix paries tuo nomīe vacat Ubi autem te reddi cer-tiorem mei studij postulasti si studium a rite Tullio vehemens animi applicatio describat. nihil est q̄d studeo. desidia em̄ mea ve-hemētiam nō admittit. Jucundissime vale Ex louanio maij sex-ta tarde. dum sol abierat. ꝛ nox celum iam s̄parserat astris

¶ Jterū nepos nepoti.

¶ Si ocium harumq̄ȝ lator ꝛ tp̄a ferrēt. scriberē de nūcio mul-ta quem ad te miseram. cui te adeo carum tua beniuola tractatio-ne statuisti. vt sibi nō tam pascha q̄ȝ tuū nomē celebre est Mul-ta ex te mihi lōgo ordīe dixit s̄ȝ pluria de te. Qui si tam dicax tu-arum laudum ꝑmaneat sua labia suamq̄ȝ linguam cōteret. sed male me habet q̄ nec ex eo nec tuis ex lr̄is colligere possum q̄ in pedagogio lilij hoc tp̄e regūt. Jam agit̄ ann⁹ vicesim⁹ ab eo tp̄e quo ibi scholaris fui. Ubi tūc erāt regētes duo. pares animis. nō ita dieb⁹. Quoꝝ vnum brabātia. alteꝝ flādria genuit. Per-nalde cupio scire. an ijdem supstites sunt. an incolumes. an alter vel neuter vel parit̄ regāt. Ubi lr̄is autem ex tuis p̄speri q̄ i li-lio vix paries meo noīe vacat. mox ego memini magistrorum meoꝝ qui parietes ꝑgamenū fatuoꝝ appellare cōsueuerūt. Qui-bus assentior. magnum em̄ sunt parietum atq̄ȝ muroꝝ flagellū prurientes digiti fatuoꝝ. qui nitorem atq̄ȝ planiciē maculare nō cessant. Possunt paruo flabello cohiberi aranee. cessant in fri-gore musce Fatuoꝝ digiti frenū nō habēt. duri parietū ꝛ ꝑpetui inimici nullo flabello dimouendi. Plurimū rogo abstergas hec

omnia. et que fatue pinxi prudenter expingas. ⁊ precipue in camera dudum mea. quam nō nominasti. que leonum camera appellari cōsueuit. que supra aulam est. ad ianuam coquine gradꝰ extendēs. suū capiens lumen ab orto. Quam pre ceteris me fedius maculasse timeo Uale: o semꝑ ⁊ ꝑpe tibi iupiter assit

¶Respōsio ad precedentē eplam

¶Colende preceptor carissime nepos. applicuit nunciꝰ tuus ad vesperam ingenti pluuia. sed multo maiore verborū copia. Qui amoris in te ⁊ fidei plenꝰ tui est nominis tuarumqꝫ rerum optima tuba. amor frenum nō cognouit. In referēdis etiam nouis non parum liberalis est. ⁊ plurimū a spongea distans. vbi nihil exit nisi prematur. Iste autem rimis nō caret. vbi omne qđ hausit gratis ⁊ vltro effluit. Sed hec hactenus. Magistri mei pro quibꝰ ardenter interrogas. qui tempore tuo rexerūt in lilio. adhuc dono dei viuūt saniqꝫ supersunt. ⁊ pariter regunt. adiuncto regente iam tercio quem etiam flandria duxit in lucem. non minus ipsi sunt tui memores q̄ȝ dies hesterna te iam primū ab eis reuocasset. qui a te omni mora depulsa optāt summope visitari quod sperāt te posthabitis omnibus mox facturum. si nō vetat necessitas qua fueris alio tractus. erisqꝫ eis desideratꝰ ⁊ certe letissimus hospes. Uale nec minus sane q̄ȝ iucunde. Raptim Louanij ex lilio festināntia cum maxima que calamo cōtulit alas.

¶Epistola commendatiua

¶Salutes faustas atqꝫ felices. Adolescens qui has perfert. a cunabulis me obseruauit semperqꝫ dilexit. quem habeo vt ciceronis ad germanum verbo vtar suauitate fratrem. spe equalem obsequio filium. cōsilio parentem. qui multis dignitatibꝰ ⁊ gradibus non ante meritum sed ante tempus ornatus est. Quem nunc tibi nō suo hortatu sed proprio impulsu commēdo. Illud qꝫ laboro vt non minimū hac commēdatione mea se cōsecutum arbitretur. Egebit is tuo cōsilio desiderium meum tibi patefacio. Non onerabo te precibꝰ. ne me diffidere putes. Tu si quid ex me cupis. redde mihi fiducie vicem. et in me iure tuo vtere. Ego enim vt vides iure meo vtor in te. in quo omnis spes mea requiescit. Uiuito letus vt inquit oratius. dum licet ⁊ vultum seruet fortuna benignum.

¶ Alia epistola cõmendatiua ad idẽ.

¶ Felicem prosperitatem vice salutis. Qui me ardentius amat hoc adolescente preter te habeo neminem. qui totus a meo pendet arbitrio. nec mihi quicq̃ꝫ est eo gratius eumqꝫ iudico dignum q̃ a te diligatur. quem nunq̃ꝫ dilexeris nõ dilectus. Aspirat is totis viribus tuam gratiam promereri. quam si assequi poterit. se celum iouis tenere arbitrabitur. Tu igitur meas ob preces fauorem tuũ illi accommoda quãtum tibi equũ ⁊ rectum videbitur. Gratissimumqꝫ mihi feceris si huic commẽdationi mee tãtum tribueris q̃ꝫ cui tribuisti plurimũ. Nam putat me a te plurimi fieri. speratqꝫ litteras ad te meas sibi fore vtiles. Fac igitur vt quod opinatur sciat. quod sperat inueniat. quod petit accipiat et quo indiget perfruatur. Idqꝫ per nostram amiciciam que nobiscum cum annis creuit. et que non eget testibus summopere etiam atqꝫ etiam rogo. quo me pro eo diligẽter scripsisse putet. et te diligentius paruisse. Uale.

¶ Alia epistola singulariorem cõmendationem continens.

¶ Prosperrimas ad vota salutes. Quamuis de hoc adolescente tecum pridem diligenter sim locutus. ⁊ scripserim ad te accurate vicibus multis. Quia tamẽ putat interesse sua. me ad te q̃ꝫ sepissime scribere Iterum atqꝫ iterum hunc adolescẽtem sanguine nobilem sed virtute nobiliorem. quem inclita virtus in celebrem laudem euexit. tibi commẽdo. vt faciles aditus ad te habeat. vt quoqꝫ suam causam pro sua dignitate conficias. Tu pridem omnia te facturum liberalissime promisisti. meminisse te id spero scio enim solere. Inueniat igitur queso apud te patulas aures patulum animũ ⁊ manus extensas iuuamini promptas quo tua virtute ⁊ meo gaudeat interuentu. Carior ipse mihi est quã calamus pingere potest. Tu multa beneficia in multos contulisti. Ausus sum contendere. te melius in nullum. vel eque bene collocasse

¶ Responsio ad precedentem

Salutes multiplici plausu cordis oblatas Lrãs tuas ornatas easdem amore plenas accepi amice fidissime. Que etsi credentiã dabãt. nõdum tamẽ quid peteret lator expressit Pro q̃ factur⁹

sum quātum animo eniti potero. nisi aliud sua voluntas aliud
equitas postulet. Ab equo em̄ ꝛ honesto seiūgi nō velim. etiam
si pater me⁹ materq; felicis memorie e sepulchro ī lucem redeāt.
idq; requirāt. Neq; etiam hoc ex me ꝑ tua singulari ꝟtute exi
gere velles. Quo᷒q; si dicto latori ꝑ immortalib⁹ beneficijs ī me
tuis nō satis fecero vel fortune vel imprudētie assignabis. Nū
q̄ em̄ sollicit⁹ esse destitero donec eum eiusq; causam in tuto col/
locauero. q̇ nunq̄ fatigari soleo seruitio vel amore meorū. Pro
nouis. villic⁹ noster qui morib⁹ fuit vrbanis ꝛ cultis. nature cō
cessit. eiusq; vxor in extremis laborat. ꝑua sue vite spes est. mi/
nor sanitatis. exanguis est. spūs est. non corp⁹ videt. que tamen
pinguissima fuit. in multam escam resoluta. Quam si iam vide
as ꝑ ventre vētris locum cernes. pectusq; pendere putabis. to/
tamq; eam effeto iam corꝑe. quasi in craticulam vel rethe cōuer
sam. Proles etiam egrote sunt. succurrat benign⁹ ille q̇ potest.
Sz quid volum⁹. incomitate nō ꝓdeūt miserie. in multas se in
cidisse nouerit. q̇ vnam incidit. Vale matre letior. q̄ viuo fit ob
uia natu. quē audiuerat equoris in medio mersum.

¶ Quedam responsio ad litteras. hic ta- men non insertas.

Letiores q̄ possis optare salutes Venerabilis domine amiceq;
singularis. quātum apud me valuerit lr̄e tue in cōmendationē
hui⁹ tabellarij cōscripte. ipso referēte cognosces. Fuit ꝑfecto pa
truus su⁹ pondere ꝛ autoritate illaꝝ nō parum mitigat⁹. qui pri
us fuerat adamāte durior. Hoc supest vt omni cura ꝛ opa sese
studijs lr̄aꝝ immergat. quo priorē desidiam flagrātiori diligen/
tia vincat. quo facile iram patrui penit⁹ suꝑabit. Ceteꝝ q̄so cōfi
das te mihi carissimū nihilq; me optare magis q̄ vt animo int
nos sim⁹ absentes eodem. quo p̄ntes fuim⁹. qd᷒ de te sperare de
me prestare possum. Qd᷒ autem breui me visites desidero vehe/
mēter. vt simul cōfabulemur. aideam⁹. bibam⁹. cenem⁹. ꝛ sola/
mine qd᷒ lr̄e prestare non p̄nt inuicē cōficiamur. Interea vale.
meiq; sꝑ meminēs esto. dulci tuo more vetusto.

¶ Debitor ꝓfugus suis creditoribus

Saluete p̄stātissimi viri. saluete gratiosissimi creditores Si nō
vosipsos mihi dederitꝭ ipsa fortuna mitiores. que me duro. heus

nimiū duro p̄ssit naufragio. perij. spes mihi cecidit oīs. actū est cogarqꝫ p terras incognitas vag⁹ ꝛ pfugus oberrare. eoqꝫ pgē q̄ sors pducet euntē. Nam mihi debita exoluē facultas nulla est. Quoꝝ tn̄ si aliquotā mihi ptē remittē dignaremini solutionisqꝫ termios in lōgum ptrahē quo mihi spaciū respirandi adesſꝫ. spe rarē tandē sudorib⁹ vob' nō mihi effundēdis efficē q̄ breui vobis oib⁹ fecero satis. q̄ plane ambulatur⁹ neqꝫ meādros neqꝫ diuerti cula q̄rā Sꝫ tāto diligētior fuero. q̄ vos videro mitiores Quid hac in re decreueritis. id vestro curato dicē ne pigeat. quo inter rogat⁹ ipse me facē poterit certiorem. Ualete scriptum raptim sub dio in loco sine nomine.

¶Respōsio ad precedētem.

Qd' ventoꝝ rabie ꝛ inclementia maris dilectissime vir. pmulta naufragio damna ptulisti. vt amicicia cogit tibi ad cor' vsqꝫ cō/dolem⁹. Et vt nos incitat caritas tuis votis volētes libēter an nuim⁹. Et quātum rō suadet tibi cōsulim⁹ vt bono aīo feras. nō culpes qd' mutari nō pt. De te. de nobis. de nullo. despes. Nūqꝫ despatio sera fuit. Nulli fortuna ppetua est(q̄ Seneca teste)vi trea est. tūc cū splēdet frangit. Metui nā debet dum blādit. irri deri dum tonat. cōtemniqꝫ dū fulmiat. Multa feret secū dies. multa remedia nō expectātib⁹ puenere. Licet eni tuo ex genē p ximi adeo sunt inopes. vt te nisi cōdolēdo conleuare nō pnt. Et q̄uq̄ pdideris multa. Lōge tu plura reseruasti. claras multoꝝ amicicias integrā apud hoīes fidē. magnūqꝫ tue fame splēdorē quib⁹ ingenio adiut⁹ ꝛ industria facile oēm fortune duriciē supe rabis. Uale in eo sine cui⁹ ope nō viuitur

¶Cōgratulatio amici sup dignitate adepta

Salutes omni voluptate dulciores. Ego p his q̄ de nouella p/motione tua adepte dignitatis audio colēde pceptor. summā ca/pio voluptatē. Primū causa tui q̄ summa sp mereri nō destitisti Deinde mei grā. q̄ me sp amicoꝝ crescētia feliciorē iudicaui Per suade tibi q̄so me tuū fidū amicū esse. te nunq̄ tpis desituꝝ. Nā ex a duerso firme teneo q̄ p te nunq̄ enodabit veteris amicicie dulce ligamē. qui nō mō meos labores sed vel vitā meā tuo tibi iure vendicasti. Uale i eo. celeri q̄ polū cardie versat

¶Responsio

Salutes multas lōgo tpe duraturas. Quas ad me lrās dedisti

amice colere. legi cum summa animi voluptate. q̄ amoris amici cieq̨ vim abūde pbuerūt Et(vt de calce tuaꝝ caput meaꝝ efficiam) nunq̄ꝫ desinam quoad vixero tibi seruitio et vsui esse. Manēt em̄. sempq̨ manebūt amico meo in scripti labores quos pro me cepisti indefesse. Nō em̄ tam gaudet platan⁹ riuo nec iuncus in vnda. q̄ꝫ ego tuis seruitijs delectabor. si me admiseris seruitorem. Nec pmissio dignitatis quam imeritus sum adeptus me segniorem faciet. Qd̄ autem mee pmotioni gratularis. gratias habeo. ⁊ tibi gratulor gratulāti. Quiddam adhuc aliud restat. qd̄ ad te scripsisse velim. qd̄ ob varias occupationes meas in aliud temp⁹ remitto. Vale in eo qui impat terris ⁊ astris.

¶Noua epistola respōsioni respōdens.

Salutes plurimas melle ⁊ sucaro dulciores. Qd̄ tuis l͞ris me mi carissime frat. me plures p te cepisse labores. nō mihi mollit in aīm cadit. Quicūq̨ em̄ diligit nō laborat. vera amicicia nullo fasce curuabit. Profecto hoc nomē labor nunq̄ꝫ cecidit i amātē. Fuit mihi sp seruitij tui suauissim⁹ gust⁹. cui⁹ nunq̄ꝫ satur exstiti. nec posset igit mihi ex satietate crescē fastidiū. qd̄ noscit dominus qui te saluū velit atq̨ felicē. Parcito breuitati. nā eam ob rem breuissime scribo. ne qui litteraꝝ multitudine tibi oneri sīt. etiam ac etiam verem longitudine.

¶Epistola increpatiua amici q̄ secreta crediderit mulieri

Leticias plurimas loco salutis. Quāuis hui⁹ diei carissime vir labor somnū suaderet atq̨ quietem. Eget tamē tui amor vt graues oculos defessosq̨ digitos ad hec scribēda compellerē. Exposuit mihi secretissime nr̄e rei quam agim⁹ longam seriem ancilla tua. iudicio meo magis loq̄cula q̄ꝫ secreti natura exposcēt. Et vt pace tua dixero. q̄d hac in re fieri potuissꝫ. deliri⁹ nō video. q̄ꝫ q̄ muliebri garrulitati adeo celāda cōmittēs. Que id solum tacere potest qd̄ nescit. q̄ int pericula non distinguit. nec scit q̄d iure timeat. Doleo certe vt adhuc liberi⁹ loquar crescēctib⁹ annis decrescere prudētiam. Simulaui ego nihil omnium me intelligē que diceret. sic ambigua attonitaq̨ redit. Vale hec tarde ex breuiella oculos iuuāte lumenq̨ supplente candela

Intiauit fili⁹ pr̄i se vestes pdidisse veniā d̄pcās

¶ Metuendissime pater. necessitas me cogit. & iust⁹ dolor impellit. ad vos vestrāq; pietatem ꝓ venia ɔfugē. Quā nisi assequar lōgius viuē nō affecto. Due mihi furto ablato sunt tunice iunij ꝑma ex archa mea quam obserare neglexi. Culpam igitur mee negligētie cōfiteor. Pro qua supplex ego plenissimo corde complosis manib⁹. amaris suspirijs largisq; gemitib⁹. veniam imploro. leges subitur⁹ penasq; datur⁹ quas statuetis. Nihil mihi spei sup esse putabo si vos non poterint mee lachryme ad remissionē inflectere. Jam ꝑmū experior illud senece q somn⁹ locum nō hab; vbi dolor & met⁹ habitāt. Dignetur igitur paterna vestra pietas dolenti filio misereri errori ignoscēdo. vestesq; nouas largiēdo. quo sentire valeā paternū fauorem vestrū a me nō esse alienū Fecerit me hec ꝑditio donec vixero cautiorem. Valete in xp̄o iesu. aīo benigno & mente quieta. Ex pedagogio lilij in louanio iunij ꝑma sopitam iam diem dum clauserat vmbra

¶ Rn̄sio patris sup vestium ꝑditione

